

tamen aliàs præsumat sibi potestatem super omnes Reges. Quid, quod & ante hæc tempora Principes promoti sint Magistri? Et quod adhuc hodie nobiles reperiantur non erubescientes gradum assumere.

THEORICORVM PRÆCEPTORVM

propositio vigesima septima.

Et illa multum vexata quæstio, an Princeps concedendo in feudum jurisdictionem, eam privativè, an verò cumulativè concessisse censeatur? Etsi Mynsing. 6. *observat.* 99. per Dominos Camerales conclusum fuisse tradat, quod jurisdictio hoc casu cumulativè & non privativè concessa sit: contraria tamen opinio nobis verior videtur, tum quia feudum est ususfructus, 2. *feud.* 23. §. *fin.* qui alicui concessus ad solum ususfructuarium spectat, non etiam ad proprietatis dominum: tum quia vasallus in subinfeudatum jurisdictionem habet, non dominus superior, 2. *feud.* 55. §. *in super.*: tum quia in vindicando prædio feudali vasallus domino præfertur *argumen.* l. 2. l. 3. ff. *si ager vectig. pet.* Wesenbec. *consil.* 95. num. 27. Dissemid. Arumnus *disputat.* 2. *quest.* 2.

Jurisdictio
an privativè
vel cum-
ulativè.

PRACTICORVM OPINIO.

Imperator concedens jurisdictionem in feudum, cumulativè eam cōcedere censeatur, nullatenus verò privativè: ratio dari posset, non tantum consideratione Majestatis, quatenus Dominus totius mundi dicitur, sed & ne hac ratione ab imperio omnes jurisdictiones quasi separentur: & in dubio illa opinio prævalet, quæ militat pro Majestate Imperii, ut videmus in quæstionibus, utrum Reges sua regna contra imperium præscribere possint. Atque ita rectè scribit Mynsingerus d. *cent.* 6. *observat.* 99. Quantum verò ad rationes Theo-
G ricorum